



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. XXII. Fallacem seu dolosam linguam tam esse crebram quàm noxiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

signum amittat, & ab omnibus repudietur: ita veritas passim velut numus adulterinus rejicitur. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Inania verba inculcant quasi complementa numerorum, & deficient: nucem porrigunt, sed cassam. Dant verba commodorum, sed non addunt commoda verborum. Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Dolus malus ubique jam usitatissimus est: suaves decantant modulos, sed quibus sopiant, & ritu Sirenum mergant, omnia fraude, aut vi aguntur. Ergo, *Disperdat Dominus universa labia dolosa, quae lenissimis quidem & amantissimis tunc verbis, sed ut dolum & machinam commoliantur.* Faxit ergo

Prov. c. 11.
vers. 6.

Psalm. 5. v. 7.

Bern. tract.
de grad. Hu-
mil. initio.

Deus ut deceptores decipiantur: in insidiis suis capiuntur iniqui. Et quandoquidem illi praestigiis suis & imposturis gloriantur, atque ab iis omne sibi lucrum pollicentur, perdant omnia, & ipsi pereant. Scio namque, Virum sanguinum & dolosum abominatur Dominus. Hos Deus & odit, & accret: neque hoc tantum abominatur etiam, omnique supplicio vindicat.

Audite ergo fraudulentum, audiat Orbis: Rex caeli in- clamat universos: Ego sum Veritas; quemcumque meas partes sectari non puduerit, qui omnes à corde, ab ore fraudes proscripserit, qui simplicissimam mentem & veram fidem egerit, meo mecum regno potietur, vitam vivet beatam, immortalem, æternis voluptatibus offusissimam. Aprè hic Bernardus: *Christus, inquit, clamat errantibus & viam ignorantibus. Ego sum Via: Dubitantibus, & non credentibus, Ego sum Veritas: iam ascendentibus sed lassentibus. Ego sum Vita.*

CAPUT XXII.

FALLACEM, seu, dolosam Linguam, tam esse crebram quam noxiam.

Pugiones erant priscis sic dolose recti, ut nulla esset suspicio latentis ferri, atque hos vocabant *Dolones*. Hoc teli genus duplici fuit discrimine: aut enim nodosus validusque fustis pugionem abscondebatur, aut flagellum aurigarium. *Maro* mentionem facit:

Virgil. lib. 7.
Æneid.

Pila manu, ferroque gerunt in bella dolones.

His Dolonibus, Dolosa lingua rectissime confertur, seu, quam supra Fraudulentam, Fallacem, Fucatam, nominavimus. Discrimen inter has linguas jam assignavimus, earumque etiam leges à malo genio scriptas proposuimus. Nunc progrediamur, ostenduntur quam hæc lingua vitia, fraus, fallacia, fucus sint; orbe toto celebria & pervulgata, quantumque inde malorum oriatur.

§. I.

Linguae
Dolus à
mudi exor-
dio sum-
psit ortum.
Gen. cap. 4.
vers. 8.

Linguae Dolus tam prisco se stemmate jactat, ut cum Orbem totum soli quatuor homines constituerent, inter eos tamen doli faber reperiretur. Ut Abelem Cainus frater falleret: *Egrediamur, inquit, foras: adsis mi frater, & animi gratia in agrum exeamus.* Hac verborum fallacia, fratrem velut agnum lanio duxit ad macellum, & in fontem jugulavit. En qualis deambulatio, quam infidiosa & fallax! En, ut otio consolando rus concessum! Hoc sermonis fucos invitatus Abel ad mortem, quam innocentia suspicari non potuit, potuit tolerare.

Joabi fal-
lacia erga
Amasum:

2. Reg. c. 2.
vers. 9.

Joabus avo Davidis regis princeps militiae, an malitiae, cum Amasum supremum belli ducem à parte Absalonis, obvium haberet, humanissimè salutans, imò & osculum libans: *Salve, inquit, mi frater.* Osculum fronti tulit, pugionem lateri infixit; salutem auribus ingessit, ficam visceribus immergit, fallacissimam simul & fucatis- simam linguam usus. Hoc est fraternis officiis prævenire; improvisò ferro imparatum ad inferos amandare. Fratrem vocabat ut amicorum intimus, & jugulabat ut latro. Hi sunt Mundi amplexus, hæc amoris oscula, hi fictæ amicitiae dolones: fidat qui volat. Joabum feliciter imita- tur, qui

*Lacteam induit ovem, sub vellere molle,
Cruda per agnos exercet sanera ritus.*

Joabo similissimus Judas Iscariotes: proditor, qui aman- tissimum magistrum osculo perfidissimo salutans, ait: *Sic vitam omnium nostrum improbi- ssimam, flagitiosissimam, flagitiosissimam con- ficariis tradidit necandam.* Amicus erat vultus, huma- nae voces, blandum osculum, amplexus urbanus, sed sub hoc nodoso stipite latebat pugio, flagitiosissimum con- tra. Ita non tantum à filio pater, ab Abialone David inu- tus, sed & ab homine Deus. Sic Mundus totus in maligno positus. Fraus & Dolus jam pridem occupantur Orbem, vale Candor, vale: vapula Fides: exula Veritas.

Narrat poeta vetus, auri & argentei sæculi felici- tatem, sed eam transactam

Protinus irrupit vena peioris in ærum

Omne nefas, fugere pudor, verumque fidesque,

In quorum subire locum fraudeque doloque,

Insidiæ, & vis, & amor scelera habendi.

Suidas impostorum & imposturatum nullum initi pos- se numerum expendens, libere adituit: *Vernis solis pla- res esse scyphantas, addo dolis omnia permiseri.*

Deus Hieremiam vatem præmonens: *Habitatio tua, inquit, in medio doli, in dolo remerunt cire me.* Attende tibi Hieremia, in medio dolosorum habitas. Omnis frater supplantans supplantat, & omnis amicus fraudulentum m- det. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, & oculis ponit ei insidias. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut in gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea? Judæi fallere dice- runt ab avis, proavis, abavis, atavis, tritavis, ab omnibus suis majoribus. Filii Jacob quam fraudulententer egerunt cum Hemore principe, ejusque filio Sichemo, quam perfidas connubii leges posuerunt? Circumcidendi elti, inquit, ut ritum gentis nostræ imitati, nobis fi- tis similes; sic demum inter nos conjugia contrahemus. Mera frus fuit, & sanguinaria. Nam tertio vulnerum die, urbem ingressi filii Jacob, ingentem ediderunt tra- gem, omnibus undequaque vastatis, ceteram imbellem turbam abduxerunt captivam. Jacob maestissimus pa-rens: *Turbastis me, inquit, & odiosum fecistis me, delebo ego & domus mea.* Gladius vester meo luit jugulo.

§. II.

Agabaonitis, uti Hebræorum Judicum historia memorat, ad Josue belli ducem missi sunt leges attritis vestibus, pertusis calcibus, panibus pene in lapide duratis. Periculosum rati sunt hi viri si se Chanaanos fa- terentur, & multò tutius esse censuerunt, si nihil sit cum illis commune dicerent, sed longè diversas sedes habere, cum tamen non longè ab Hierosolymis habita- rent. Ajunt igitur se famam Hebræi ducis excitos, multo- rum dierum iter fecisse, & hoc esse verum ex habitu comprobant. Vestes enim quas viam ingressuri novis induissent, longo itinere detritas, calceos solutos, panes mucidos exaruisse: cum datà operâ vestes tam tritus sumplerint, & callidè omnia confinxerint, ut verisimilia dicere viderentur. Hoc habitu in concione ingressi dicunt se missos à Gabaonitis, eorumque vicinis urbe- bus, ut salvis patris institutis in Hebræorum amicitiam venirent. Comperto enim quod Deus gratuito munere Chanaanæorum terram illis concessisset, gratulari se eis & jus civitatis petere. His dictis, & ostentatis vestibus in signum longi itineris, orabant ut in fœdus & amicitiam admitterentur. Josue nihil subesse fallaciarum ar- bitratus, in fidem & amicitiam eos recepit, juravitque habiturum se eos pro amicis ac sociis. Hoc actu non compotes domum ad suos sunt reversi. Faceret dixit poeta priscus:

Nam doli non doli sunt, nisi astu colas.

Jehu jam in regem unctus, omnes Baalis sacerdotes callidissimè convocavit edicto proposito: *Nollis scire quod*

non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal: quicumque defuerit, non vivet. Et venerunt cuncti servi Baal, non fuit residuum ne unus quidem, qui non veniret. Cumque jam omnes, offerendis victimis, congregati essent in templo, immisit Jehu militem suum in eos, iussitque una omnes trucidari, ut nec unicus quidem evaderet. Factum non malum, modò modus fuisset melior.

Virtute parva sepe fraude amittimus.

§. III.

Romani nec victorias quidem amabant fraude acquisitas. Falerios Tusciam urbem obsidebat Camillus. Faleriis mos erat, eodem magistro liberorum & comite uti, simulque plures pueri unius cura demandabantur. Principum liberos, sicut ferè fit, qui scientià videbatur præcellere, erudiebant. Is cum rebus tranquillis institisset pueros ante urbem lusus exercendi causa producere, nihil eo more per belli tempus omisso, modò brevioribus, modò longioribus spatiis sensim eos à portâ sermonibus lusuque variatis longius solito abduxit. Ita fraudulentis viâ & narrationis ambagibus progressus, illos inter stationes hostium, castraque inde Romana in prætorium ad Camillum perduxit. Ibi fraudulentum consilium aperuit homo nefarius, dixitque: Falerios à se Romanis in manus tradi, quando eos pueros, quorum parentes ibi rerum capta sunt, in potestatem dedat. Quæ ubi Camillus audivit: Non, inquit, ad tui similem populum, nec Imperatorem, scelestus ipse cum scelesto munere venisti. Arma habemus non adversus eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur, sed adversus armatos: eos tu, quantum in te fuit, novo scelere vicisti. Ego Romanis artibus, virtute, opere, armis vincam. Pueris deinde virgas dedit, quibus vincitorem proditorum verberantes, in urbem agerent. Hoc fraudis odio eorum animi sunt capiti, quorum mentia non poterant expugnari. Quid tandem nos Christiani ad hæc non colorem ducimus? idololatras à fraude oblata ultro tam alienos cernimus, & nos fallaciarum modos omnes rimabimur? Quotusquisque est qui delatam sibi fallendi occasionem generosè respiciat, malitque stitem colligere, quam fallaci lingua thesauros acervare?

Prioribus addendum: Cum Marius & Atilius in senatu Romæ gloriarentur, regi Macedoniæ, specie pacis & induciarum à se inductum, negarunt Patres in eâ se legatione Romanas artes agnoscere, nec gratias agere fallacis. Imò & in Græciâ, ubi usitatus artificium fuit, fallere, fraudes non impunè abierunt. Dercyllidas homo vaferimus, è dolis confusus, unde & Sisyphi nomen habuit, cum Cleomene Spartano septem dierum inducias est pactus. Ab hoc fœdere tertîa nocte Cleomenis castra invasit, hos peremit, illos abduxit, conventionem omnem violavit. Insimulatus perfidia, impio cavillo flagitium cludens, in faciendo fœdere nullam nocturnam, sed dierum duntaxat mentionem esse factam affirmavit. Sed ob hanc fraudem Argos ei redire non permillum; quæ quidem ignominia nota ad insaniam hominem redegit. Inter idololatras fraus omnis habebatur turpis, & tamen subinde apud Christianos honori ducitur, & præmia ferunt qui fraudes docent.

Magnus ille artifex fallaciarum Nicolaus Machiavellus, ausus est hanc Orbi pestem propinare, nec erubuit chartis mandare hæc verba: Id mihi significare videtur Xenophon, quòd necessaria sit ars quædam decipiendi, si altum fastigium ascendere, & insignes aliquos progressus efficere velis. Hac arte Joannes Galeacius principatum Mediolanensem Bernardo avunculo suo eripuit. Addit Machiavellus: Fraudem necessariam putamus omnibus, quicumque ex parvis initiis crescere, & ad magnum quoddam fastigium conscendere conantur: quæ tantò minùs turpis est, quantò quis magis

illam poterit occultare, & honesto aliquo prætextu te-

gere. Tam flagitioso calamo quis non indignetur? Vir eruditus & religiosus scriptorem hunc damnans merito: Machiavellus, inquit, è scribâ Florentino decerpente regum & monarcharum magister effectus: dè dignum certum fulminibus caput! Et tamen civitates sunt, quæ Christianum & Catholicum nomen sibi usurpant, ubi pueris pæne in cunis Machiavellus prælegitur. Quid miri à tali magistro tales formari discipulos simulant, fallendi, dissimulandi peritissimos?

§. IV.

Disputatur hodiè inter doctos, quæ omnium prima lingua fuerit, & an ulla sit homini naturalis & congenita. Quòd si oracula divina interrogemus de primæva omnium lingua, liquidissimum illa responsum lax & dodabunt, inter primas si non primam fuisse fallacem & dolosam. Etenim priusquam prima omnium parens vel verbum sciat locuta, coluber jam sermonis exordium texuerat, in hæc verba: *Cum præcepit vobis Deus: Doli ac fallaciarum offertissimus fuit hic sermo.* Erat enim serpens callidior cunctis animantibus. En fallaciæ inventorem fallacissimum! Ita tres illæ sorores, Fraudulenta, Fallax, Fucata lingua profapiam suam ab omnibus retro annis, ab ipso usque paradiso deducunt. Hinc longa nepotum series, & malorum innumerabilis exercitus.

Lyander rex Spartanus, sophista, sed & cavillator vaferimus fuit, quod Cælius commemorat. Cum ei Cæd. Rhodius quidam probro daret, quòd pleraque dolo & fraude gereret, subridens Lyander dixisse fertur: Ubi quis quod vellet non assequeretur leonis exuvias, vulpis esse astutendas, arbitratus, quod honestis rationibus non possit effici, fallacis id efficiendum. Duobus enim modis fit injuria, vi aut fraude: ubi ergo leoninum tergum nimis est injuria, vi uti habemus, eo nostra spectat agilitas, ut quod aliter non possumus, saltem assequamur dolo; prodesse si nequeant oves, profint vulpes.

Simulat aliud aliudque agit dolo malus.

Ver. Lamb.

Hinc illa dolosorum axiomata: Nullam fallendi occasionem negligere, pejerare audacter, pactis non stare, varias lucrandi artes excogitare. Hinc panni mercator si quid exoletæ mercis habet, sub fornice obscuro vendit & mirè commendat:

Laudat venales quas vult detrudere merces.

Caupo ut vino dubio ac pendulo gratiam conciliet, creatam misceat, sulphure corrigit, vinum sublimatum affundit, nihilominus hoc suum vinum inter optima urbis prædicat: sic alii pro thure lapides, pro cerâ picem vendunt, & tamen jurant merces esse sincereas. Omnia plena dolis. Quam verè dixit Tullius: *In animis hominum multa sunt latebra & multi recessus.* Quot hic anfractus & anguli, quantæ ambages! In plurimis ingenium & incessum colubrinum æmulamur, tortuosissimè gradimur, dolum ex dolo adhibemus. Hanc fraudum cohesionem Latini rectè *Sutelas* vocant. Nam uti sartor aut pellio tam perire vestem confuit, ut futuræ filum non pateat: sic & nos tam artificiosè fallere didicimus, ut futuram abdere noverimus; Nempe dolos ut doli sint, astuticolumus, non enim fallit qui præmonet. Et hoc inter artificia numeratur. Pulchrè Petrarca: *Monstrantur digito, Petrar. l. 2. inquit, fraudum magistri, & ille prudentior judicatur, qui de remedi peritor est fallendi. Visne igitur non decipi aut morere, aut fuge hominum consortia. Sed & nunc cogita, an tu quemquam aliquando sefellaris. Estis enim ferè omnes ad fallendum proni. Feres autem facilius ab altero tibi fieri, alteri quod feceris. Sed vos quæ facitis aliis non sentitis, & quæ ab aliis sunt vobis, pati non potestis, rerum omnium iniquissimi iudices. Quis vivit & non decipitur?*

III

Antonius

Tom. I.

Antonius Magnus Orbem totum laqueis obductum vidit. Cave laqueos, cave. Equis autem omnia satis caveat? Tragici consilium audit.

*Seneca Trag.
in Thebaida.*

*Quoties necesse est fallere, aut falli à suis,
Pariare potius ipse, quam facias scelus.*

Quomodo enim puras Deo preces aut gratas admovebis, lingua fallaci & dolosa? Quis hanc sui coci prober industriam, si eodem ille foco & pulvis in pultrario coquat, & sevm in vicinâ ollulâ eliquet, idemque prorsus cochlear jam pulmento mergat, jam sevo? quis est qui hoc tale pulmentum gustet vel ingenti fame stimulus? Tales nos coci sumus, eadem tudiculâ, unâ eademque lingua jam precamur, & ferculum paramus dominico palato, mox illam ipsam mergimus doli ac fraudis sevosâ ollâ. Quomodo igitur preces ab hac lingua sint gratâ Deo? Quisquis ergo vult archimagirus esse tanti principis, has lordeas caveat; suum cochlear, linguam suam ab omni dolo mundam conservet. *Disperdet Dominus universa labia dolosa.*

Psalm. 11. v. 4.

S. V.

*Qui utantur
lingua
dolosa?*

Dolosâ hac lingua utuntur ii subinde, quorum esset dolos coecere, uti sunt Causidici, Judices, Notarii. Galeacius dux Mediolanensium, cum aliquoties audisset, vasto ingenio causidicum esse, qui lites ferere, & latus producere atque alere etiam in liquido jure posset, hominem ad se vocatum affatur: Debeo, inquit, pistori centum aureos. Non lubet solvere: tu ecquid tueri me in jure, & rem protollere potes? Annuit largiter, & principi promptè se dedit. Sed,

*Menof.
Troch.*

Qui struit dolum alteri, idem ipse eum struit sibi.
Nam Galeacius fraudis sic confessus, verbis prius increpitum laqueo publicè necari jussit. Firmum fixumque est: *Dolosa labia disperdet Dominus.* Siquidem dolosus suscitavit artibus plerumque capitur. Audite fraudulentum, rem memoratu dignissimam.

*Epistola in
Menof. Po-
lit. lib. 2. c. 9.
monit. 3.*

Agebat Norimbergæ Rudolphus I. Austriacus, Imperator, & rebus Imperii ac publicis intendebat, cum eum ad privatas leviter vertit mercator quispiam, jus & vindictam petens. *fa* hospitem sive diversitorem ibi notum, à quo grandi pecuniâ fraudatum se dicebat: nam bonâ fide deposuisse apud eum in sacculo ducentas argenti se libras (Marcas appellant) seu mille philippeos, quos ille impudenter abnegabat, injuriose retinebat. Imperator de fide dictorum interrogat: affirmat mercator, sed suâ *sele*, nec aliis (ut solet ferè in deposito) argumentis. Igitur Imperator re perpensa, altum adhibendum censuit, & vestigiis indagandum verum. In eam rem querit ab homine, ille sacculus ejusmodi sit? Describit ille formam. Nec jam aliud Cæsar quàm secedere eum in proximum cubiculum, & prætolari jubet. Habebat in animo accusatum cautionem evocare, sed fortuna commodius instituit, & ultro ad eum venit. Nam venerunt primarii urbis cives, ut solet, gratulatum Cæsari & salutatum; inter quos iste infidus hospes. Norat aded jam ante Cæsar, & ut comitas ejus erat, benignè & per facietas appellat: Heus tu scitum illic pileum habes, mihi dona, aut permutemus. Ille artissit, pileum libens dimisit, & honoris hoc factum duxit. Cæsar paululum secedens, quasi publicum negotium avocaret, fidum ac notum civem, cum illo ipso pileo ad uxorem hospitis mittit, his additis mandatis: Heus matrona, maritus jubet ut sacculum talem ad eum mittas. Opus habet: ecce tesseram fidei meæ hunc ejus pileum. Mulier agnoscit pileum, & sacculum quem descripsit. Itaque nihil ambigens ascendit, tradit quasi ad maritum deferendum. At ille rectâ ad Cæsarem, qui mercatori ad se vocato sacculum ostendit, & Hicne est, inquit, num agnoscis? affirmat mercator, & exultat. Tum & hospitem Cæsar adhibet: Et hic, ait, de te queritur ac perfidiam tuam

A accusat: quid ais, an refellis? Ille audacter, mentiri eum dicens, aut dementem; nihil sibi rei cum eo esse aut fuisse. Denique Imperator sacculum proferit, ad ejus aspectum ille turbatissimus, animo ac lingua labitur. Quid multa? mercator pecuniam, hospes infamiam recipit, atque etiam damnum: nam grandi aliâ insuper pecuniâ Cæsar eum multavit. Ita proptus dolis suis captus est dolosus.

Ezechias rex grande quid petiit à Deo. Vite finem indixerat Isaias propheta. Hic Ezechias supplicem Deo libellum porrexit, spe certâ fretus aliquot vite annos emendicaturum. Sed quâ tandem arte id Deo persuasit Ezechias? Hac ipsâ: *Obsecro Domine*, inquit, *memoratus quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate.* Quicunque in rebus omnibus veritati studet, atque hoc unum agit, ut omnia sincerè & sine dolo agat, hic ingenti animi fiducia impleat, nihilque cunctabundus speret, preces suas fore gratissimas Deo. At impositor, & dolosi oris homo, nihil hic habet sperare; clamabit & nemo audiet. Joannes Apostolus: *Majorem horum, inquit, non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Multum in Virtutis gymnasio promovit, qui amare veritatem, omnem dolum odisse didicit.

Qui dolosè agit, virtute se fatetur imparem.

G

CAPUT XXIII.

GARRULA Lingua quibus potissimum, & quantum noceat.

Verbum vetus est: *Es Dodonaum.* Hoc in hominem importunè ac improbe loquacitatis dici consuevit. Zenodorus ex Ariphoro Menandri, in Dodonâ duas fuisse columnas ait, atque in unâ quidem positam pelvim aream, in alterâ pensile simulacrum pueri, flagellum aream manu tollentis; quoties autem ventus vehementior flaverit, fieri ut scutica impulsâ crebris leberem feriat, ilque percussus tinnitum reddat, ad multum etiam temporis resonantem. Inde homo maxime garrulus cymbalum seu tintinnabulum Dodonæum appellari solet. Siquidem fabulator si garrite incipiat, uti creberrimè incipit, imò pæne nunquam desinit, longinquum loquitur; lingua illius immodica, velut pelvis aenea vento ac flagello agitata, tam prolixam exhibet loquacitatem, ut audientes dicant. Nescit hic homo dicendi finem,

*verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicis
Pulsari*

Archelaus rex interrogatus à tonsore, quâ ratione tonderi veller? respondit, silendo. Quam autem difficile sit multis silere, satis fatetur Garrulitas seu Vaniloquentia. Tacere garrulo, rerum omnium difficillimum. Atque de hoc linguæ vitio, de Garrulitate jam paullo uberius differemus, simul garrulitatis noxas explicaturi.

S. I.

Gregorium Nazianzenum theologum Celenis inurbane arguit nimii silentii, & mutæ inhumanitatis, si quando inter homines ageret. Gregorius litteras Celenio scripsit in hunc modum: Hirundines olim cavillabantur cygnos, quod extra hominum consortia solitarii in aquis sibi tantum viverent. At nos, aiebant illæ, in urbibus sumus inter homines, ædificamus in domibus, fallendo temporis plurimum commodamus. Malè habuit olores futilis hæc dicacitas: sed satis norant logos & fabulas optimè refutari silentio; unus tamen ceteris